



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **COLORATENSIS*** IN AEQUATORIANA NATIONE
PRAELATURA TERRITORIALIS COLORATENSIS

AD GRADUM AC DIGNITATEM EVEHITUR SERVATIS IISDEM FINIBUS ET NOMINE Cum hisce recentioribus annis Praelatura territorialis Coloratensis catholicorum fidelium numero operibusque religiosis et civilibus auctis haud modicum incrementum cepisset, Venerabilis Frater Iosephus Marius Ruiz Navas, Archiepiscopus Metropolita Portus Veteris atque Conferentiae Episcopalis Aequatorianae Praeses, eadem Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petivit ut haec praelatura territorialis ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur. Nos vero existimantes id in animarum bonum esse cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Francisco Canalini, Archiepiscopo titulo Valariensi et in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, Praelaturam territorialem Coloratensem ad gradum et dignitatem dioecesis attollimus, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et eodem Curiae nomine Coloratensi. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Santo Domingo de los Colorados » ponimus, ibique exstans praelaticium hucusque templum, Domino Nostro Iesu Christo in caelum ascendenti dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Praeterea dioecesim Coloratensem suffraganeam confirmamus metropolitanae Sedi Portus Veteris dum Venerabilem Fratrem Aemilium Laurentium Stehle, hactenus Episcopum Praelatum Coloratensem, Episcopum dioecesanum Coloratensem nominamus, iisdem iuribus, privilegiis, insignibus honoribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quae Episcoporum residentium, ad normam iuris, propria sunt. Congruae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus atque bonis temporalibus cunctis, quae ad dictam praelaturam pertinuerunt. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerus, eidem praelaturae adscriptus, novae dioecesi incardinatus censeatur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, administrationem bonorum, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Francisco Canalini, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Aequatoria; eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 12, pp. 908-909 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana